

1951

## C O D I C E S

1952

*stro praeter paucos ad Portam Coeli* Canoniarum S. Aug. olim Templo, unumque ad D. *Stephani*.

## DCCCVIII.

- U. 196 Codex chartaceus praecedenti per omnia geminus, Folior. 337. est *Pars Secunda* eodem modo inscripta, sed Sermones in varia Divorum Festa, de Sacramentis et aliis quibusdam Materiis complexa, ut Index praefixus docet. Nihil in Sermonibus his omnibus fingulare, nihil tamen etiam absonum. Latine conceptos, germanice prolatos fuisse, verba aliquando marginibus adjecta docent. Ita fol. 113. ubi Textus habet: *de grandiori et solido cibo*, foris legas: *mit starkh vnd fester speis*. De Autore nil compertum habeo, nisi, quod *Collatio facta Wienne pro Imperatore Sigismundo*, fol. 194. ita subscribatur: *Hec collatio facta est wienne in ecclesia sancti Augustini per quendam cappellanum ac confessorem Illustris domine Elizabeth ducisse Austriae Marchionisseque Moraviae ac praedicti domini Imperatoris filie inclite (Heroinae illius ante diem Alberti II. Imp. Viduae) sub Anno domini 1433. In die Sancte Marie Magdalene, presente ibi multitudine cleri et laicalis populi*. Nam, ut ait Orator, qui toto sermone officia Principis et spes Reip. in eo repositas bene exponit, *hodie cum solempni processione et sanctorum reliquijs ad hunc deuotissime peruenimus locum*. Meminit etiam Sigismundi nouiter in

*boc anno, scilicet in solempni die penthecostes a sanctissimo patre nostro papa Eugenio imperialiter (Romae) coronati, et confidit, quod ipse auxiliante deo purgaturus sit aream militantis ecclesiae a palea hereticorum bussiticorum, et plurium aliorum malorum*. Voluntas sane non defuit.

## DCCCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 213 Folior. 446. 4. non una manu conscriptus, et quondam, ut dorsum testatur, M. *Johannis Hymmel Styri* ex oppido *Weiz*, Th. Prof. canonici ad D. *Stephanum*, ter Academiae inter an. 1425—41. Rectoris, et *Alberti Ducis* cum *Nicodemo Scaligero Ep. Frisingano* ad Concilium *Basileense* Oratoris, ut aliquanto pluribus docet *Pars I. Scriptt. Universit. Vien.* p. 126. plurima hujus Viri industria congesta seruat, quae per-  
censebo. Fol. 3. *Sermo de purificatione b. Virginis*. In illud: *Reuerendi patres &c. Solempnitatis hodiernae preconia &c.* Sermones hic occurrentes habitos fuisse ad Academicos, semel monuisse suffecerit.

Fol. 10. p. 2. *Johannis Turndel* Can. et Vicarii *Nicodemi Ep. Frisingensis* Transsumtum adlatae a *Petro* Can. regulari in *Vnderstarf Bullae Concilii Basileens.* qua *Executoribus Indulgentiarum pro orientalis ecclesiae et grecorum felici reductione* concessarum facultas a *fimoniaca* prauitate ab-  
fol-

1953

H O M I L E T I C I.

1954

solvendi datur. Incipit illa: *Sacro-sancta &c. Promeretur deuotorum affectio quam ad viuersalem ecclesiam &c.* Data est: *Basilea sept. id. septembr. a. 1436.* et a me in Actis nullibi reperta. Ad preces igitur praedicti *Petri Vicarius Frising.* Transfuntum hoc addita fide *Friderici Rat de Berching* Not. publ. et coram Testibus, ut genuinum promulgat *Frisingae a. 1437. Indiſt. 15. Pontificatus* (quod mirum) *sanctis in Christo Patris et Domini nostri d. Eugenij diuina prouidentia Pape quarti Anno sexto die martis, 26. mens. Februarij.*

*Fol. 13.* Sermo in Pentecoste in illud: *Repleti sunt omnes spiritu sancto. Act. 2.* Initium: *Sanctissimum hodiernae solempnitatis diem Penthecostes deuote suscipientes &c.* Ad calcem: *Anno Domini 1421. 25. die Maij, s. vrbani.*

*Fol. 29.* Adlocutiones II. Acad. in Magistrorum promotione. Prior incipit: *Certaminibus eius modestia semper affuit &c.* Altera: *Quantum ad tertium — restat nostros tyrones aliquialiter commendare &c.*

*Fol. 37.* Quatuor *Hussitarum* Articuli videlicet: De Communionem sub utraque Specie, de Punitione Peccatorum publicorum, de Cleri civili Dominio, et de libera Praedicatione verbi Dei, suis rationibus fulti et propugnati, non eo tamen ordine, neque tam diffuse, ut in Concilio *Basil.* a *Job. Rokiczana, Wenc. Taborita, Ulrico de Znoyma* et *Petro Payne* expositi sunt. Articulus no-

bis I. de Cleri Dominio ita orditur: *Quia fideles, vt supponitur, christiani inhabitantes Regnum Bohemie conceperunt, qualiter propter peccata superiorum et specialiter sacerdotum &c.* Catholici cujusdam labor *Hussitarum* Argumenta *συνοπτικως* solum modo referentis esse videtur. Id quod confirmat manus alia sub calcem: *Iste premisse allegaciones sunt hussitarum, quibus heresim et errorem suum nituntur colorare, allegantes scripturas ad literam, sed sensu ecclesie et sanctorum doctorum ipsarum scripturarum carent, sicut mos est hereticorum.*

*Fol. 47.* Sermones III. 1) *In die pasce Anno Domini M° (CC-CC) 36.* Thema: *Si consurrexisti cum christo &c. Coloss. 3.* 2) *In die annunciationis beate Marie virginis.* Thema: *Ecce ancilla Domini &c. Luc. 1.* 3) *In die parasceues Anno Domini M° CCCC° XXX sexto.* Thema: *Videbunt in quem transfixerunt &c. Zach. 12.*

*Fol. 59.* Negotium Indulgentiarum publicatarum in Concilio *Basil.* et quidem 1) ipsa *Bulla Sess. XXIV. Vox illa iocunditatis &c.* ut apud *Labb. Concill. T. XVII. col. 340.* 2) *Instructiones circa exequendas indulgentias in facto grecorum. Primo de executoribus assumendis et eorum expeditione in concilio facienda.* Articuli XIX. *Sequitur de modo agendi in partibus per executores pro debita executione Indulgentiarum. Exempli caussa: Debet quilibet executorum pro suis expensis et familiarium duntaxat habere pro quolibet die vnum florenum,*

1955

C O D I C E S

1956

renum, sed oneretur eius conscientia, quod dies, quibus in exercicio non fuerit, non computentur, et quod dies exercitii non multiplicentur ultra necessitatem agendorum &c. Demum de Promotore generali dictorum executorum et indulgentiarum hic in concilio deputando et officio eius, ut omnia effectum forciantur. Ad calcem: *Leſa sunt presentia capitula in natione germanica die ſabatſi XXI. april. Anno &c. 36.* 3) Sequuntur Literae iis distribuendae, qui conditiones praedicti Jubilei impleverint, in ordine ad eligendos Confessarios una cum Formulis absolvendi, dispensandi &c. a Commissario sive Promotore supra dicto, cui muneri deputatus videtur, qui praescribitur; *Nos Alexander humilis abbas Monasterij verzyllarcensis ord. s. Benedicti Eduen. Dyoc. Virziliacensis scribitur in Instrumento Pacis inter Regem Franciae et Ducem Burgundiae apud Labb. T. XVII. col. 587. Vezeliacensis* probum est a *Vezeliaco (Vezelay) in Dioec. Augustodun. Vide Galliae Christ. T. IV. col. 474.* cujus Autores tamen nihil certi de *Alexandri* in Concilio actis habuere.

Fol. 65. p. 2. Monumenta Legationis *Eugenii IV. ad Basileenses, Florentia a. 1436.* 1) *Bulla legationis. Dilectis filiis Nicolao (Albergato) tytuli sancte crucis in ierusalem, et Johanni (Cervanti) tytuli sancti petri ad vincula — Cardinalibus &c.* Init: *Dum onus universalis gregis dominici superna dispositione nobis iniunctum*

*diligenter attendimus &c.* Nihil contra *Basileam*. Tantum esse ibi nonnulla negotia ardua, dei honorem, statum ecclesie et bonum totius reipublice christiane concernentia agenda uel expedienda, ad quae illos de latere, non sine utriusque laude, tanquam pacis angelos ablegat. *Florentie Anno incarnationis dominice MCCC36. 13. kl. marcij Pontificat. anno 4<sup>o</sup>.* 2) *Bulla ad sopiendas lites.* Iisdem jam, ut ait *Eugenius*, pro nobis in sacro basiliensi consilio praesidentibus. Tribuit plenam facultatem dijudicandi et componendi lites motas de electione aut postulatione ad cathedrales Ecclesias vel Monasteria. Init: *Cum intelleximus non nullos ueluti asserentes &c.* 3) *Bulla ad consociendum in conclusis per concilium in factis grecorum, in annatis facta prouisione.* Iisdem Praesidentibus, sed adduntur *Job. Archiep. Tarentinus et Petrus Ep. Paduanus.* Enumerat Pontifex ea, quae sibi et *Basiliensibus* male conveniebant, feliciter composita, et ne nova iterum suboriantur, arbitrium Legatis committit concordandi, tollendi, sedandi et sopiendi sufficiente tamen prouisione quoad annatas, communia servicia &c. Init: *Non est insolitum inimico homine supereminante Zizaniam &c.* In omnibus 3. Bullis ait *Eugenius*, se agere de consilio *Jordani (Urfini) Sabinen. et Brandae (Castillionei) Portuen. Epp. Cardd.* 4) *Oblatio facta per legatos ewgenij pape.* Cedula nempe post adventum Deputatis Concilii porrecta hoc initio:

Quo-

1957

## H O M I L E T I C I.

1958

*Quoniam sanctissimus Dominus noster papa semper desideravit felicem consummationem sanctorum illorum operum &c.* Quatuor continet: consensum *Eugenii* in Decretum de Electionibus et Annatis stante Provisione sufficienti, promptum animum in omnibus aliis iustis petitis satisfaciendi, desiderium opportunioris loci pro conventu *Graecorum* et dubium de efficacia Indulgentiarum ad conficienda illorum Viatica, denique paratam nihilominus voluntatem ad ejusmodi Indulgentias per se dandas. Narrantur hae Transactiones T. XVIII. *Annal. Eccl. Raynaldi* p. 155. Nihil tamen Monumentorum aut ibi, aut a *Labbeo* et *Mansio* adfertur.

*Fol. 67. p. 2.* Instructio illa quadruplex de Indulgentiis, quae incipit: *In wlgari exponatur, quod Greci et Rutheni &c.* et jam alibi relata est, ut *Index* docet.

*Fol. 70. Auisamenta M. Hainrici de Oyta* Numero X. data intra annos 1379—97. quibus Vir hic Theologiam apud nos professus est. Abusus in Dioecesi *Pataviensi*, ad quam tunc *Vindobona* pertinebat, gliscentes notant, puta: Exactionem pecuniae ab Ordinandis pro intitulatione et pro formatis, item pro consecratione Ecclesiarum, Capellarum, altarium, cimiteriorum, sacrarum vestium, ordinationem Clericorum sine sufficienti examine in scientiis et moribus, exactionem Cancellariae nimiam pro Literis confirmationis ad beneficia, Promotionem vel Praesentationem indignorum

*Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

ad beneficia, nimiam exactionem pro Literis dimissoriis, et pro facultatibus Absentiae, non gratuitam justitiam Judicum ecclesiasticorum, exactionem pro sepultura *Praeventorum* (i. e. qui subito et improvise decessere) denique omissionem Synodorum et Visitationum Dioeces. Omnia suis rationibus illustrantur, et praecipue suadet, ut melius solvantur Officiales, ne opus habeant, illicitis modis crumenae consulere.

*Fol. 72.* Resumuntur *Sermones* in varia Festa Domini, B. V. et sic dicti *Aulares*, quod alibi exposui. Ex his Sermo de *Passione* dicitur *fol. 126.* habitus in die *parascueus* 1426. *Collatio aularis fol. 132.* habita anno 31. Sermo *fol. 152. p. 2. pronunciatum per Magistrum Narcissum (Herz) de perching.*

*Fol. 182.* Congeries Sententiarum e PP. et Jure Can. Versuum hiulcorum et Remediorum medicorum exigui momenti.

*Fol. 186.* Noti et supra relati IV. *Hussitarum* Articuli, praemisso: *Notum sit uniueris Christi fidelibus, quod fideles in Regno Bohemie &c.* ut apud *Cochlaeum Hist. Hussit. L. V. edit. Mogunt. 1549. p. 199. f.* sed *Allegata* apud nos longius procurrunt.

*Fol. 188.* Epistola pia et rudis ad quendam Scriptoris in spiritu Clientem, quem filium adpellat, et ad castimoniam serwandam, non tamen sat prudenter informat. Sub finem fit mentio spoliationum in *Austria* et in *Olomucio.*

M

Fol.

1959

C O D I C E S

1960

*Fol. 189.* Rhythmi ad Clericos de eorum Officiis  
*Viri venerabiles — — — Dei*  
*Precones altissimi, lucerne diei*  
*Caritatis radio fulgentes et spei*  
*Auribus percipite verba oris mei &c.*

*Fol. 190.* Iterum Sermones varii, quos inter *Petri Tzach de Pulka* in Feste *Petri et Pauli* dictus in Concilio *Constant.* et saepius relatus.

*Fol. 207.* p. 2. Succedunt quaedam *Basileensia*: 1) Ordinationes variae variis e *Sessionibus* et *Decretis* carptae. Ita de *Bulla plumbea* e *Seff. IV.* de *Multiplicatione Cardinalium* *ibid.* de *causis Fidei* *Seff. V.* &c. 2) *Auifamenta prolocuta per dominos prelatos.* Ineunt: *In primis quod attentis heresibus Bobemorum* &c. ut *Labbei* edit. *Venet T. XVII. col. 598.* sed in *Codice* contractiora. 3) Iterum variae Ordinationes, praecipue de *Concilii Suppositis*, et *Decretum Seff. IX.* pro *Sigismundo Imp.* 4) *Decretum citationis Eugenii* e *Seff. XII.* item de *Electioibus.* 5) Excerptum ἀξιοσπορον prolixum memorabile ex *Oratione Gerardi Landriani Ep. Laudens.* a *Basileensibus* ad invitandum *Henricum VI.* Regem *Angl.* missi a. 1432. quo inter alia *Hussitae* praedicare asseruntur: *omnes homines inter se pares esse, neque alium alio superiorem fore.* Oratio integra extat *T. XVII. Labb.* edit. *Venet. col. 658.* Quo *T.* et reliqua haecenus relata reperies.

*Fol. 216.* Homiletica varia de *Religione, Castitate, Obedientia, Praelatis,* &c. parvi momenti.

*Fol. 228.* p. 2. *Copia bulle auree Domini imperatoris Grecorum.* Ut habetur *T. cit. col. 337.*

*Fol. 229.* p. 2. *Johannis Abb. Cistertii Literae datae Basileae 11. Mart. 1436.* ad *F. Johannem de Brumbach* *Provisorem Collegii Ord. sui in Vienna,* quale quondam extitisse nunquam acceperam, nunc tamen eo loci fuisse putem, quo ampla *Domus* est ad *Abbatiam S. Crucis* pertinens. *Jubetur* ob labores et sollicitudines *pro reparatione dicti Collegij habitas,* et favores personis *Ordinis* exhibitos concedere *M. Johanni Celi* (*Himmel* tunc *Basileae* agenti) *domum in Collegio Vienne ex opposito lectorij theologicae facultatis sine solutione pecuniarum, donec in lectura dicti Collegij duntaxat permanebit,* item *Domunculam in terra sitam annexam prefato lectorio sub annuo censu unius floreni ungarici iuxta conventionem cum fratre Johanne* quondam *abbate Sancte crucis* pro tunc *provisore,* demum debita *quadraginta florenorum* pro *edificijs,* et quidquid ex *domuncula* tempore *suae absentiae* per *personas ordinis* ablatum est.

Fol.

1961

H O M I L E T I C I.

1962

Fol. 230. *Iste Sermo est sermocinatus per Reuerendissimum Dominum Episcopum Laudensem in Ingressu conclauis in Constantia. Nempe pro electione Martini V. Autor est Jacobus Arrigonius O. P. non semel nobis jam memoratus, et Sermo noster legitur in Scriptt. Ord. Quetisi T. I. p. 785.*

Fol. 234. Farrago Epistolarum occasione Conciliorum Constant. et Basl. scriptarum, quas inter Johannis XXIII excusatoria suae fugae, universitatis Parisinae ad suos Oratores, et ad Patres Basileenses cum horum Responsio &c. Reliquae ut plurimum negotia particularia spectantes notis topicis et chronologicis passim carent, breviculae sunt et potius Paradigmatum instar, unde nec operae pretium fuit inquirere, an alicubi typis vulgatae proffent. Claudit agmen Epistola Synodi Basl. ad Canonicos Vindob. ut Concanonicum suum Johannem Himmel, compilatorem Codicis hujus, tanquam membrum Synodi ita Praebenda sua frui sinant, ac si ad D. Stephani praefens adefset.

Fol. 242. e calce Tractatulus aduersus heresim novam de necessaria communicatione laycorum sub utraque specie raptim editus Constantiae Anno 1417. die XX. Augusti per dominum Johannem de garsonis &c. ut non semel Vol. I. et edit. Antverp. T. I. p. 457.

Fol. 247. *Vtrum sit licitum emere vel vendere possessionem vel redditus sub tali pacto ut quando restitutum fuerit precium, rescin-*

*datur contractus et recuperetur possessio vel Redditus ita quod fructus non restituantur. Accedunt et liae similes Quaestiones circa Contractus, Usuras, Restitutiones &c.*

Fol. 253. *Sermones five Collocationes aliquot: 1) Petri de Pulka de ambasiata Universt. Wien. ad Concilium Constant. a. 1416. in illud: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Luc. 17. Relatus Vol. I. P. 2. col. 1560. et alias. 2) Exclamatio contra Clerum. Ita Index praemissus Codici; sed est Prooemium Cycli illius aurei autore quodam Paulo Anglico, quem l. cit. col. 2089. et saepius indicavi. 3) Collatio Manfredi Abb. S. Ambrosij ambasiatoris Ducis Mediol. in presencia Regis Rom. Constant. 19. Febr. 1415. Extat apud Herm. v. d. Hardt. T. V. Actor. p. 109. et bis hoc. Vol. 4) Collatio Episcopi Carcasion. (Geraldii de Podio) ambasiatoris Regis Francie. Pariter habita Constantiae, et pariter imperfecta, ut alias hoc Vol. 5) Jacobi (Arrigonii ex O. P.) Ep. Laudensis Collatio facta in Condemnacione Job. Hufs. Constantiae 6. Jul. 1415. non semel et hoc et super. Vol. relata. 6) Sermo in illud: Nuptiae factae sunt in Cana Galil. Job. 2. et de S. Antonio. Est Job. Gersonii, ut edit. Dupin. T. II. col. 349. et nobis alibi hoc Vol. 7) Sermo factus Constan. per M. Richardum Fleming in obitu M. Wilhelmi Corff de anglia. 1417. Jam alio Codice hujus Vol. relatus, ut Index docet. 8) Ejusdem in obitu*

M 2

Ep.

1963

I N D E X

1964

*Ep. Sarisberg. de Anglia. Id est Card. Roberti Halam. Nihilo plenior altero Exemplo hoc Vol. adducto, unde ex eodem fonte derivati, quod et plura hic recensita manifestum faciunt.*

*Fol. 286. Basileensa quaedam:*  
 1) ex Indiculo praevio: *Litera Cardinalis presidentis concilij missa Uniuersitati (Vien.) in materia quarundam propositiōum odiosarum. Init: Venerabiles &c. Mouet nos immense caritatis et beniuolentiae cordialis affectio &c. Intellexeramus nonnullorum vestre almae vniuersitatis doctorum quasdam propositiones in quadam recommendatione (Prolusione Acad.) pronuntiatas atque dogmatizatas fuisse, que prima facie in aliorum detractionem sonare videbantur. Itaque ad Concordiam suaviter hortatur. Abest nota temporis; verum, si quid video, ad litem in Concilio Uniuersitati motam a M. Job. de Königshoven, quem Rector circa an. 1438. coetu excluderat, ista pertinent. Causa apud Patres hominem cecidisse et supplicem tandem certis conditionibus in gremium Acad. receptum fuisse docet Conspectus Hist. Univ. ad an. 1440—49.* 2) Fragmentum Scripti alicujus *Abbatis*, quod incipit: *Ceterum Rev<sup>me</sup> pater et domine gratios<sup>me</sup>, si v. p. dabit reformationem effectualem et cupitam vniuersis atque deo gratissimam per capituli detractionem, cessabunt isti questuarij latrare, quorum numerus iam in concilio dietim minoratur. — Expedi, ut opidatim diri-*

*gatur bulla plumbata exhortatoria et preceptoraria, ut auctoritate concilij sic arrestatum ac rebellem nequaquam dimittant, donec sufficienter ab eo receperint cautionem et obedienciam ipsi concilio et depositus obediat. Si vero hanc obedienciam aut spontanee, aut informacione susciperet, tunc et non alias centum florenos pro annua pensione reciperet. &c. An haec Eugenium petunt? Nulla loci aut temporis nota.* 3) *Citatio contra Collectores. Nempe Camerae Apostolicae. Init: Quoniam ab inicio congregacionis nostre &c. Data Basilee in congregacione nostra generali VIII<sup>o</sup> ydus Augusti Anno MCCCC<sup>o</sup> 35. Ut Labb. T. XVII. col. 635. Additur in Codice: Auscultata per me eberhardum scriptorem infrascriptum cum originali bullata et concordat.* 4) *Bulla Conservatoria perpetua canonicorum sancti Stephani wienne. Data ad Abbatem Monasterij scotorum in wienna et posonien. patauien. strigonien. ac olomunczen. ecclesiarum prepositos, incipit: Sacrosancta generalis synodus basilien. &c. Circa statum ecclesiarum et monasteriorum omni solertia redimur indefessa solliciti &c. Querelas detulerat Praepositus et Clerus illius Ecclesiae contra omne hominum genus de occupatis Castris, Villis, Possessionibus, Juribus &c. suis; itaque Concilium iungit supra nominatis, ut hanc Ecclesiam sedi apostolice immediate subiectam contra omnes occupatores, detentores, presumptores, mole-*

1965

H O M I L E T I C I.

1966

molestatores et iniuriatores defendant &c. *Basilee IV. Kal. . . . Anno 1445.*

*Fol. 288. Urbani V. et VI. Diplomata II. quorum primum datum Avenione XIII. kal. Jul. Pontificat. anno tertio (1365) ad desiderium Rudolphi IV. Ducis Austr. Viennae Studium generale, excepta Theologia, confirmat; alterum datum Neapoli apud maiorem Ecclesiam X. kal. Marcij Pontificat. anno sexto (1384) deponente Alberto III. Theologiam addit. Illud incipit: In supreme dignitatis apostolice specula &c. Hoc: Dum generosos palmites &c. Utrumque habes initio *Conspectus Hist. Univ. Vien. et Lambecii L. V. c. 79.* unde in *Kollarii Analecta T. I. col. 53. et 59.* transiere.*

*Fol. 291. Epistola M. Henrici de Langenstain dicti de Hassia: Amicorum sincerissimo virtute et scientia reuerendo Domino E. (Eberhardo ✠ 1418. creato 1383.) de Ippelborn ecclesie maguntine decano. Plenum optimae frugis Scriptum, quod incipit: Audiens nuper iterum de digniori promotione vestre persone &c. jam Vol. I. indicatum est*

*Fol. 293. p. 2. Quae hic sequuntur, iuvat Clemangiana inscribere: 1) Vniuersitas parisen. clementi pape 8°. (VII.) per stilum Nicolai de Clemenges. Viri hujus Scripta et fata, qui post varia munia in Navarraeo Collegio Parisiis ante an. 1440. decessit, praeter alios executus est Job. Launojus in *Academia Paris. illustr. P. III. L. II. c. 3. p. 558.* Meminit*

*is Epistolae hujus inter ineditas, ejusque profert initium: Paucis abhinc Pater beatissime diebus exactis &c. quod et nostrum est. Addit secundam hanc esse ad Clementem pacis ecclesiasticae hortatoriam, duosque memorat Codices mss. in quibus una cum prima reperitur. Noster primam non habet. 2) Galeatus de Petramala cardinalis Nicolao de Clemenges. Galeothus hic Tarlatus Aretinus Urbani VI. iras fugiens adplicuerat se Clementi VII. Avenione, unde et hanc Epistolam 2. Decembr. anno ut videtur, 1394. exaravit. laudum et amoris in Clemangium plenam, eo quod vidisset Literas Univerfitatis Paris. nomine ad Pontificem et Cardinales ab eo tanto cum stili splendore, tanta sententiarum maiestate scriptas. Stomachari cepi, prosequitur, atque compatriote meo petrarche cicius irasci, apud quem legeram, extra italiam oratores et poetas non querendos &c. Ita sane vel hodie, qui non nisi suos norunt, non nisi suos crepant, parum solliciti, quid Thespis et Aeschylus utile ferrent. Tota ceterum Epistola lectu digna est. 3) Nicolaus de Clemenges Galeotto. Respondet eadem urbanitate oblatam acceptans amicitiam. Est haec Epistola in edit. *Opp. Clemangii Lugd. Bat. per Job. Lydium 1613. 4. p. 20. num. IV. et incipit: Perpulchras literas tuas &c. Atque isthaec cum Galeotto et Job. Mureto amicitia Nicolaum denique in aulam Petri de Luna sive Benedicti XIII. pertraxit. Epistola in edit.**

1967

C O D I C E S

1968

edit. finit: *fomentum amori ministret*; in Cod. 15. *lineis* ultra procurrat, jubetque Cardinalem, qui audierat *Clemangium Bononiae* literis operam dedisse, certum esse, illum nec *gallie finibus unquam excessisse*, neque introisse *bononiam*, nec *italiam ipsam de loco viciniore*, quam *hec vrbs parisiensis est*, intuitum. 4) *Galeottus de petra mala Cardinalis Romanis ciuibus*, *Exhortatio pro vnione*. Epistola est in viam data Legatis electionem *Petri de Luna Romam* nunciantibus, et incipit: *Hortatur patrie caritas, viri magnifici, vestri honoris desiderium suadet, sed compassio lacrimantis ecclesie me impellit, ut vos pulsem &c.* et post longam in Schisma declamationem: *Habemus pontificem diuinitus nobis datum a sacro collegio post obitum fel. mem. D. Clementis 7<sup>mi</sup> unanimiter assumptum olim d. petrum de luna R<sup>mu</sup> sancte romane ecclesie cardinalem nunc benedictum papam 13<sup>um</sup>. qui potens est et vult omnes morbos nostros curare &c.* Audirent illum igitur *per christianissimum* (non ita de *Honorato* isthoc *Raynaldus* in *Annal. eccl.* ad an. 1380 — 99.) *fundorum magnificum comitem ac per oratores, quos cum benignissimis literis suis mittit &c.* Tenebat tunc *Romam Bonifacius IX.* nec profecit quidquam haec Legatio. Interim *Scriptoribus* deinceps adnumerari poterit *Galeatius* uel *Galeottus* noster *S. Georgii ad velum aureum*, seu *Velabrum* Diaconus Card. maxime, si *Codex Petav.* in *Vaticana Galeati de Petramella Episto-*

*las* complexus alia praeter duo hic indicata *Monumenta* contineat. *Luxit mortuum Clemangius Epistola* apud *Lydium* num. XII. p. 49. addito *Epitaphio* non inconcinno. 5) *Nicolaus de clemenges benedicto pape 13.* *Exhortatio pro vnione*. Init: *Grandis, pater beatissime, et forsan temeritati finitima &c.* Est apud *Lydium* cit. num. II. p. 6. non parum tamen in Cod. variat. 6) *Vniuersitas parisen. per stilum Clemenges benedicto pape XIII.* Ejusdem argumenti, et extat in *Dacherii Spicil.* edit. novae T. I. ad an. 1394. p. 772. hoc initio: *Quanquam pater beatissime dum ad nos perlata fuit &c.* 7) Eadem inscriptione *Dominis cardinalibus*. Initium: *R<sup>mi</sup> patres. Etsi firmam antea spem animo conceperamus &c.* Ut *Spicil.* cit. p. 786. 8) *Nicolaus de clemenges regi francie.* Nempe *Carolo VI.* Initium: *Non meum fugit animum, Princeps christianissime &c.* Hortatur ad collaborandum contra Schisma et abusus in Ecclesia. Ut in edit. *Lydii* num. I. p. 3. ubi deest haec *Clausula*: *Vale rex illustrissime, principum nostri seculi lux et decus, et quam a deo duntaxat gloriaris accepisse potestatem, in sue nunc ecclesie leuamen et auxilium refundito.* 9) *Adhortatio* quedam ἀπειρηγᾶτος ad publicas contra Schisma precatioes adhibendas, subscripta: *parysius 3<sup>o</sup> ydus novembr. die festo gloriosissimi et beatissimi confessoris Martini*, et incipiens: *Quidnam agimus, ymo vero quid non agimus! periclitatur ecce hew petri nauicula*

la et in medijs scismatum diffensionumque fluctibus in ea sedentes rotamur, rapimur, obuoluimur &c. Clemangio tribuenda videtur, quamvis nec inter edita, nec inter non edita Ejus adnumerari videam. 10) Nicolaus de clemenges secretario pape benedicti 13. et quibusdam alijs, qui eius epistolam correxerant. Incipit nobis: *Miror et satis mirari vix valeo, unde hec tanta prodijt audacia, meis manum corriptricem, ymo certe corruptricem inicere scriptis &c.* Lydio vero num. III. p. 11. *Vt stomachi (Germani loco dilecte amice) bilem, qua grauitur torqueor, exonero et miror, et satis mirari nequeo, unde hec &c.* Sanius erat castigatius Exemplar inquirere, quam bruta illa contra Cardinales fulmina in margines ejaculari. 11) Nicolaus Clemenges. Epistola est ad Job. de Monasterio, apud Lydium num. XVIII. p. 72. Incipit: *Nouum me esse noueris yconomum, talem quidem yconomum, qualis et thesaurarius existo &c.* quo adludit ad munus in Ecclesia Lingonensi sibi collatum. Deficit in Codice ad verba: *omniumque R. Publ. nunc sustinet fomitem esse malorum.* 12) absque inscriptione Epistola reprehensoria, quae incipit: *Iustum erat Ambrosi si saperes &c.* Lydium ait num. VII. p. 33. sub nomine Guntheri Colli Reg. Secretarii scriptam. 13) Sine inscriptione Epistola, quae incipit: *Si alius esse, quam Guntherus, tota mens hercle quam anima mea timeret, Vir perliberalis et egregie; ne grauitur et iniquo animo ferres,*

*quod tam diu de scribendo tibi meo te pollicito fraudauerim. Est igitur Clemangii ad Gunth. Collum Regium Secretarium, quocum, ut ait Ep. apud Lydium num. CIX. p. 305. amicitia a junioribus inchoata annis cum aetate crevit.* Maxima parte inuestiva est in Johannem Praep. Insulanum, cui avaritiam, Φιλανθιαν, et eruditionis affectationem acriter exprobrat, ejusque Volumen Epistolarum ydoneum tersorium tergendis obscenis vocat. Sub finem de occupationibus suis haec: *Meo qualicumque stilo per totum terrarum orbem, quos ipse decreuerit, dux aurelianensis (Ludovicus) alloquitur vnicus ipse francorum regis frater tantus princeps tamque strenuus et gubernande r. p. tam efficax et semper intentus. Meum apud hunc officium est, quoad possum, operam dare, ut ille suis literis ornate efficaciter et honeste loquatur.* Itaque et Aurelianensi ab Epistolis fuit Noster, quod nemo memorat, quemadmodum et praesentes Literas ignorauere. 14) Φιλοσοφημα de simulatis Amicis et Adulatoribus egregium, quod ἀνεπιγχαφως incipit: *Lelius aut potius cycero: cuius aures clausae sunt veritati, ut verum audire non possit, eius salus desperanda est. Quid vero infidelius quam eum, cui fidem debeas, circumvenire verborum blandicijs &c.* 15) Aliud de Modo Beneficentiae breuius: *Si promissionis implende facultas non suppetit, temerarium est promittere &c.* Utrumque Veterum sententiis illuminatum totum quantum Clemangium

um sapit, de cuius Scriptis sub prelum revocandis qui cogitaverit, nequaquam hunc Codicem negliget, praesertim cum *Mart. Lydii* editio non magnam laudem tulerit, et in mutanda phrasi multa libertate usa esse videatur.

*Fol. 312. p. 2.* Utraquistica quaedam: 1) *Copia mandati bobemorum oblata in congregatione generali die veneris XVI. mens. Januarij M° CCCC° XXXIII. Reuerendissimis &c. Quia audientiam generalem desideranter dudum &c. Ut T. IV. Supplem. Mansii ad Concill. col. 429. Sed repone ibi in Subscriptione annum 1432. pro 33. et Oratorum nominibus valde deformatis v. g. Sencisum de Mokrowus pro Benessum de Mokrawe, adde Laurentium residentem in ciuitate thabor, qui teste nostro Exemplo fuit omnium oratorum consensu approbatus et asserebatur per negligentiam scriptorum omisus. 2) Copia mandati vniuersitatis studij pragen. oblata, ut supra. Reuerendissimis &c. Cristannus de Prachaticz Rector &c. Olim paterne glorie splendor &c. Datum Prage M° CCCC° XXXII die prima mens. Decemb. Ut l. cit. col. 430. 3) F. Nicolai, ut in calce, Carthusiensis Prioris Vallis Josaphat in Olmuncz Epistola: Honorabilibus Dominis et Reuerendis Magistris et doctoribus Rectori et ceteris Alme vniuersitatis Wyen. cum reuerentia presentetur. Data est feria 3<sup>a</sup> proxima ante festum penth. A. d. 1434. et incipit: Vestram noticiam latere non estimo, qualiter virulenta Herefis Bobemie et*

*Morauie partes occupans ita corda multorum sauciavit &c. Deplorata strage et vastitate inde exorta graviter exprobrat cum Ambasiatoribus Basilea missis, qui Communionem sub Utraque per has Provincias indulgissent, tum ipsi Concilio, quod earum Oratores tam honorifice recepisset, Viennensesque in obpositum firmare conatur. Video apud Pezium Dissert. Isagog. in T. IV. Thes. Anecd. p. 16. in Prioratu Dolanensi seu Olomuc. successisse Stephano Scriptis noto Nicolaum, cuius pariter Opuscula ibidem refert; quoniam vero hunc anno 1425. mortuum adserit, Nicolaum alterum subrogatum fuisse oportet nostrum, decessoribus suis haud indignum. Confer cum alio Codice ex Indice.*

*Fol. 315.* Redeunt Conciliaria Basileensia: 1) Collatio seu Propositio domini Iohannis Archiepiscopi Tarentini Oratoris et ambasiatoris domini Eugenij pape 4. Incipit: Humanissimam et sanctissimam &c. Ut Labb. T. XVII. col. 676. et nobis jam cum sequente relata. Adi Indicem. 2) Similis Andreae Archiepiscopi Colocens. Incipit: Maximam mihi dicendi fiduciam &c. Ut Labb. T. cit. col. 663. 3) Responso Concilij. Incipit: Cogitanti huic sacro generali concilio &c. Ut. T. cit. col. 448. Deest etiam in hoc. Cod. ut in alio jam relato Testimonium A. Cardinalis Senensis.

*Fol. 337.* Epistolia quaedam, inter quae mentionem meretur: 1) Richardi Flemming Ep. Lincoln.

1973

## H O M I L E T I C I.

1974

coln. et *W. Militis Legatorum Henrici Regis Angl.* Petitio ad *Henricum Ducem Bavariae*, ut sibi *Ratisponam* mittat e suis, qui salvos ad ejus praesentiam deducat, properaturos dein ad Regem Rom. *Ratispone XI. April. 1422.* 2) *Leonardi Ep. Passav.* ad *M. Petrum de N.* (Pirchenwart?) et reliquos Theol. Professores *Comendatio M. S. de A.* ut ad lectionem *Sententiarum* admittatur. *Datum in Castro nostro Swadorff II. Jul. 1435.* 3) *F. Barth. Texerii* Mag. Gen. Ord. Praed. ad quendam Theol. Professore *Vien.* *Preces pro quodam Ordinis Baccalaureo O.* ad examen et *Licentiam* admittendo, quam in *Universitate Colon.* jam obtinere potuisset. *Collaturum id ad Ordinis reformationem*, quam sibi summe cordi esse ostendit. Id quod confirmat ea, quae de *Texerio* traduntur in *Scriptt. Ord. T. I. p. 776.* *Datum Basilee die 22. Marcij anno 1435.*

*Fol. 339.* *Disputatio de Usura*, et primum: *Vtrum in usura data usurario transferatur dominium in usurarium.* Ad calcem subiiciuntur omnia *judicio sacri iuris canonici doctoris eiusdemque ordinarii lectoris domini Caspar*, quem *Casparum de Meiselsstein* habeo, *Universitatis cum Petro de Pulka* in *Concilio Constant.* *Oratorem*, jam a. 1400. *Rectorem*, et intra an. 1408—24. *sexies Facult. juridicae Decanum.*

*Fol. 348. p. 2.* *Decretum de Concubinariis*, et de *Excommunicatione*, prout habentur *Seff. XX.*

*Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

*Lab. T. XVII. col. 315.* *Accedit Cedula Sessioni XXI.* praevia, qua jubentur e singulis *Deputationibus lecti cogitare de Provisioe Papae, Cardinalibus et Praelatis* facienda abrogatis *Annatis.* *Istud conclusum fuit 3°. die Junij.* *Sessio ipsa habita fuit 9. Jun. 1435.*

*Fol. 350.* *Quaestiones de symonia M. Hainrici.* Agitur de *simoniace Ordinatis*, qui, quomodo et quando vitandi sint. *Henricus hic an de Hassia, an de Oyta?*

*Fol. 356.* *Sermones IV.* 1) *De S. Nicolao vel alio Confessore* in illud: *Tu es Sacerdos &c. Ps. 108.* 2) *De S. Margareta uel qualibet alia uirgine* in illud: *Virgo cogitat que domini sunt &c. 1. Cor. 7.* 3) In illud: *Perfice gressus meos &c. Ps. 16.* *Sermo egregius ex intima Theologia* petitus de *Homine condito*, lapsu et *mediis damna reparandi.* 4) *Consideratio potius de Regimine Animorum*, quae incipit: *Qui regendis animabus prepositi sunt, ut in suis officijs gratum deo exhibeant seruicium debent more periti corporalis medici summopere considerare &c.* *Multus est in reprehendenda nimia bonitate et conniventia Praepositorum.*

*Fol. 370 Bohemica:* 1) *Motiua persuasiva quod Bobemis communio calicis non concedatur.* *Sunt numero VI. et inchoant: Primo propter hoc, quia de facto non occurrit causa sufficiens talis concessionis &c.* ad calcem: *Hec scribimus non ut aliorum Doctores, sed ut filij ecclesie sacrosancte per hoc sacrum concilium representate hu-*  
miles

N

miles

1975

C O D I C E S

1976

*miles monitores fatentes per expressum nos semper paratos esse de stando iudicio saniori et ecclesie utiliori.* 2) *Motiuia ad persuadendum quod hereticis in Boemia et morauia non sit ab ecclesia communio calicis indulgenda.* Sunt numero VII. et inchoant: *Primum est, quod non apparet, unde prescripti Heretici ad petendam communionem calicis agitentur &c.* In multis necesse est haec *Motiva* inter se convenire. Ad *Basileensem* Synodum pertinere docet iterata ad *determinationem Concilii Constantiensis* provocatio, et agitata fuisse ante *Sessionem XXX.* facile quisque perspiciet. Cum *Universitas Vien.* teste *Consp. Hist.* p. 138. et 140. bis in mandatis dederit *Oratori suo Thomae Haselbachio:* nequaquam consentiret in *Communionem sub utraque specie Hussitis* concedendam, aliqua ex adductis *Motivis* ad illum pertinere arbitrator. 3) *Motiuia ne laicis in Bohemia et Morauia communio calicis concedatur.* Sunt numero X. et inchoant: *Primum quia adhuc nulla videtur inesse sufficiens causa &c.* 4) *Epistola non una ratione memorabilis.* Inscríbitor: *Viris boemis conregnicola &c.* Incipit: *Fam tempus esset, ut aperiretis oculos et consideraretis, ad qualem statum inclitam patriam nostram perduxerit doctrina perditorum sacerdotum, qui vos seduxerunt multa promittendo, quorum contraria sunt secuta. Saluator Dominus noster ihesus christus nos docuit a fructibus cognoscere arborem. Intuemini et considerate, quales fru-*

*ctus produxerit illorum doctrina. Videtis patriam procb dolor nimis dissipatam et destruetam spolijs predis rapinis — Videtis omnem policiam et literarum studia deperire, sicut et cultum diuinum, quibus inter omnes patrias mundi nostra florebat — Illi sacerdotes et noue doctrine magistri se olim extollebant optare audientiam, et nunc quando data est eis (Basileae et Pragae 1433.) plena et pacifica, quantum voluerunt et offertur amplius, ipsi retrocedunt. Nonne unus Articulus, pro quo vos ad pugandum induxerunt, est de libertate verbi dei, et tamen in nullo loco inter christianos est minor libertas predicandi, quam inter vos. — Praga maior et noua solo muro intermedio diuiduntur, et tamen sacerdotes se inter ad predicandum non admittunt. Vbi est ista libertas, si magistro Rokiczano licet in praga, quos vult, admittere et quos vult, expellere? Similia observat ad reliquos 3. Articulos, atque post Concordata iterum quaesivisse rupturam. Quare hoc, nisi quia dominari volunt et non habere caput nec superiorem, et forte ne detegantur alij errores, quos tenent inter se secreta, nec vobis audent declarare. De intestinis eorum discordiis pulcre: Quando itinerantes vadunt per viam rectam, de itinere non contendunt, sed quando errant in solitudine, tunc nascitur questio de via, dum vnus hanc, alter illam viam esse capiendam contendit; itaque de via contentio manifesta probatio est, quod in via regia non sint. Cum ergo*  
vos

1977

H O M I L E T I C I

1978

vos ipsi videatis, quot diversitates et contenciones sint inter sacerdotes vestros, — cognoscere debetis, quod in via recta non sint. Et plura similia, quae Lector adtentus facile applicabit. Nota loci et temporis nulla.

Fol. 375. p. 2. Bullae. 1) Eugenii IV. ad Petrum Archiep. Januensem de inchoando quidem Basileae, sed transferendo Bononiam Concilio. Data Romae 1431. XV. kal. Jan. ut T. IV. Suppl. Mansi col. 232. 2) Ejusdem Dissolutionis Concilij. Potius Revocationis. Data Romae V. (XV.) kal. Jan. anno primo, ut Labb. T. XVII. col. 733. 3) Concilii Basil. apud Labb. cit. col. 446. inscripta: Quod Patres manere intendunt in Basilea &c. Data 21. Jan. 1432. 4) Martini V. de celebratione Concilii: Nuper siquidem cupientes &c. Data Romae oct. kal. Maij anno sexto, et lecta in Sess. I. Basil. ut apud Labb. col. 223. 5) Ejusdem Juliano S. Angeli Card. Nominat Basileae Praesidem. Romae kal. Febr. anno primo (lege 14.) Inferta praedictae Sessioni col. 225. 6) Eugenii IV. eidem Juliano Card. Confirmatoria. Romae II. kal. Jun. (sic) a. 1431. ibid. col. 227. 7) Concilii Constantiensis Processus contra Invasores accidentium ad Concilium ex ejus Sess. XV. inferta Sess. I. Basil. ut col. 230. Data primitus II. Non. Jul. 1415.

Fol. 382. p. 2. Literae in negotio Bohemorum: 1) Legatorum Concilii F. Johannis Nider O. P. et Job. de Maulbrun O. Cist. da-

tae Nuremb. die 6. (5.) Jan. 1432. ad Bohemos. Etsi cupite rei &c. ut Labb. cit. col. 637. 2) Responsum Magistri Civium et Consulium iuratorum Maioris civitatis pragensis datum quarta feria ante festum purificat. Oblate pacis desideria &c. ut col. 799. 3) Responsum supradictorum Legatorum datum Nuremb. XII. febr. Ampliorem spectabiles Viri &c. ut col. 639. 4) Magistri Civium et Consulium Prag. ad Consules Egrenses data feria quarta post festum sancti Mathei (l. Mathiae) apostoli. Servitium nostrum iuxta presentis &c. ut col. 798. 5) Pragense ad Nuntios supradictos data ead. die. Affeclande pacis commoda &c. ut col. 810. Melius Lectoribus consulissent Editores Concill. si Literas has ἀποσταύσας non ita disjecissent.

Fol. 385. p. 2. Literae in negotio Gallorum. 1) Johannis Archiep. Lugdun. ad Concilium. datae Petrescisse 28. Apr. 1432. Reuerendissimi &c. Post longam concertationem &c. ut Labb. cit. col. 777. 2) Concilii ad Regem Francie datae 9. Maij. Sacrosancta &c. Pro quam pijs et populo christiano &c. ult. col. 615. 3) Ejusdem ad Consiliarios dicti Regis datae ead. die. Sacrosancta &c. Destinamus praefato christianissimo &c. ut col. 616. 4) Ejusdem Magnifico Domino de Tremollia datae, ut supra. Cum diuino munere &c. ut col. 617. 5) Ejusdem Archiepiscopo Remen. Cancellario Regis Francie datae, ut supra. Sacrosancta &c. Rescripsit nobis vene-

*venerabilis vir* &c. ut col. 617. 6) Ejusdem Archiepiscopo Lugdunen. datae, ut supra. Cum magna iocunditate &c. ut col. 618.

Fol. 387. Literae II. Concilii Basil. 1) Cardinali sancti Eustachij. Committit ei Regimen Civitatis Avenion. et Comitatus Venaysini. Ineunt: *In pacis auctore hac sacrosancta* &c. datae XII. kal. Jul. 1432. pertinent ad Sess. IV. apud Labb. cit. col. 249. 2) Bohemis cum salvoconductu. Ineunt: *Sacrosancta* &c. Pridie oratores nostri &c. datae 20. Jun. 1432. pertinent ad eandem Sess. ut col. 244.

Fol. 389. Juliani Card. S. Angeli Scripta bina: 1) *Epistola missa Pape*. Gravis illa ad Eugenium IV. jam alias relata et impressa ad calcem Commentar. Aen. Silvii de Conc. Basil. Init: *Beatissime* &c. Jam nunc uniuersus &c. 2) *Copia sermonis facti* per Eundem. Init: *Locuturus pro publica christiani utilitate populi* &c. Proposita est egregia haec Ecclesiae catholicae *Προσωποποιουα* Oratoribus Bohemorum in Concilio 9. Jan. 1433. et legitur Labb. T. XVII. col. 686.

Fol. 401. p. 2. Eugenii IV. Decreta varia: 1) *Facultas data Oratoribus suis ad Basileam*. Erant hi: *Job. de Mella* Decretor D. *Christophorus* Ep. *Ceruiensis* Referendar. et Abbates *Ludovicus* S. *Justinae* *Paduan.* et *Nicolaus* S. *Mariae de Moniacis* (al. *Moviat*) *Dioec. Montisregal.* Facultas est ad continuandum interea *Basileae* Concilium, incipiens:

*Nulla maior cura* &c. data *Romae* XVIII. kal. Jan. 1432. et exhibitata a *Raynaldo* *Annal. eccl.* T. XVIII. n. 19. ad b. a. 2) *Alia Facultas*. Incipit: *Inter omnes curas pastoralis officii* &c. et legitur T. IV. *Supplem. Mansii* col. 699. data *postridie*. 3) *Alia Facultas*. Incipit: *Romani Pontificis circumspectioni* &c. data 1433. kal. febr. ut *Mans. cit.* col. 703. 4) *Alia Facultas*. Incipit: *Sedis apostolice circumspecta clementia* &c. data 1433. XV. kal. febr. Igitur ante praecedentem, ut *Mans. cit.* col. 701. 5) absque Inscriptione *Litera*, ut habet *Labb.* T. saepe cit. col. 737. praesentata *Concilio per Ambasiatores Electorum Imperii missos ad Papam*. Incipit: *Ad sacram Petri sedem* &c. data XVI. kal. Mart. 1432. 6) absque Inscriptione sed ad Cardinales *Jordanum Sabin.* et *Petrum Albanen.* *Epp.* et *Nicolaum S. Crucis,* *Angelottumque S. Marci* *Presbb.* Legatos suos directa. Incipit: *Alta nos cura sollicitat* &c. data in *Codice* 1432. kal. Mart. sed apud *Labb.* col. 745. XVIII. kal. Jan. 1433. 7) absque Inscriptione, sed ad *Julianum S. Angeli* *Card.* Incipit: *Dudum ex certis rationabilibus causis* &c. data 1433. *Off. ydus Maij,* et T. IV. *Supplem. Mans.* col. 735. inscripta *Littera Legationis*. 8) absque Inscriptione, sed ad *Basileenses* de *Missione* suorum Legatorum. Incipit: *Posteaquam statuimus in ciuitate* &c. data 1433. VI. ydus maij, ut *Mans. cit.* col. 736. 9) absque Inscriptione, sed ad Legatos ipsos, *Job.*

*Job. de Mella, Job. Archiep. Tarentinum, Thomam Ep. Tragurien. Ludovicum et Nicolaum Abbates jam supra memoratos. Incipit: Cum ex certis rationabilibus causis &c. data 1433. Nonas Maij, ut Mansf. col. 734.*

*Fol. 409. Resumuntur Basilensia: 1) Oratio Magistri Jo. de mella ambasiatoris Domini Eugenij pape quarti facta die VII. Marcij 1433. Init: Noli timere filia Sion &c. ut apud Mansf. col. 685. 2) Oratio domini Nicolai abbatis sancte Marie De Moniacis apostolice camere auditoris alias Cecilie, pro quo Mansf. col. 689. Siciliae. Incipit: Ecce nunc tempus acceptabile &c. et habita fuisse videtur eodem die. 3) Responso Sacri Concilij Basilien. data his Oratoribus. Incipit: Speravit haecenus hec sancta synodus &c. ut apud Labb. col. 476. 4). absque Inscriptione Decretum de Judaeis: Saluatoris nostri ihesu christi sequens vestigia &c. e Sess. XIX. ut Labb. col. 312. 5) Tenor literarum patriarche Constantinopolitani sub bulla plumbea que de greco in latinam translate sunt. Ineunt: Joseph &c. Literas R. v. recepimus per Reuerendum anthonium &c. ut Labb. col. 310.*

*Fol. 420. p. 2. Sermones II. 1) M. Petri de Pulka nostri in illud: Tu es Petrus. Matth. 16. Init: Quia eterna Dei sapientia dominus noster Ihesus Christus — Johannem baptistam — Helyam vocare dignatur &c. Ita et Simonem dixisse Petrum, in quo Petro eluceret: fidei claritas, vite*

*puritas, apostolica dignitas. Ad summum Pontificem tota dirigitur oratio, verum ad quem? Concilio Constantiensi oratorem Universitatis Vien. adfuisse novimus Petrum. Pisano adfuisse nemo dixit. Atqui Sermo hic et in Alexandri V. nomen, et in Patriam Candiam seu Creten commentatur, et Pontificii sub finem unionem cum Graecis commendat, ad quod V. S. maxime dinoscitur ydonea propter communicationem generis et linguae. Ad an. 1409. pertinet nova haec Theologi nostri corolla. 2) M. Nicolai Dinkelspubl. Adde Alberti Ducis Austriae ad Constantiense Concilium Oratoris Gratulatio recens electo Martino V. Pont. in illud: Ecce constitui te super gentes et regna &c. Jer. 1. Inter alia ait: Cum intellexisset Albertus eum Pontificem creatum, in signum letitiae ordinavit pulsari campanas per omnes ecclesias civitatis wiennens. ubi et per duos dies pro gratiarum actione cum multa solemnitate celebrare fuere festiue missae, ymo tanta fuit fidelium exultatio, quod quasi per modum iubili in vna ecclesia simul in octo locis cantabatur Te deum l. humanis vocibus iuncto omni genere musicalium instrumentorum, 3° vero die congregato iterum toto clero et uniuersitate studij wiennens. fiebat solempnis processio per ecclesias cum multa celebritate missarum, quibus omnibus illustris princeps antedictus in propria persona cum omni sua curia et plebe civitatis deuotissime interfuit &c. Addit: Quoniam ipse propter multa impe-*

1983

I C O D I C E S

1984

*impedimenta in propria persona non possit Pontificem adire, mississe ad praestandam obedientiam Johannem comitem in schawenberg, Leopoldum de eckertschaw, et Othonem de bobenberg, item Henricum flecklin apost. Palat. caesar. Auditorem et se Oratores. Etiam de hac Adlocutione silent, qui de Nicolao nostro egere.*

*Fol. 426. p. 2. Tractatio theologico-canonica, quae sic orditur: Circa potestatem a Christo collatam prelati ecclesie sex per ordinem sunt videnda. Primo de potestate Petri, Secundo de potestate Apostolorum, Tertio de potestate Discipulorum, Quarto de potestate Pape, Quinto de potestate Episcoporum, Sexto de potestate Curatorum. Horum VI. Articulorum quilibet in plures abit Conclusiones. Ita primus in 5. secundus in octo, verum in media Conclusionem 7. deficit evulsis foliis laboriosus hic Codex.*

DCCCX.

- U. 569 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 333. 4. per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus et, ut fronte et calce adseritur, Collegio Ducali anno 1425. donatus a Venerabili Viro M. Johanne Aygel de Chornwenburga Artium et Medicine Doctore, qui undecies Facultati suae

Decanus, et a. 1412. Academiae Rector praefuit, varias Sermonum sacrorum Classes exhibet, quarum I. complectitur Dominicales et Feriales per annum in Epistolas et Evangelia, II. fol. 95. Quadragesima, III. fol. 138. pro Festis Domini, IV. fol. 165. pro Festis B. V. Mariae, V. fol. 185. de S. Viris, VI. fol. 243. de S. Feminis, VII. fol. 257. Sermones mixtos et asceticos. Exordium est ab Adventu, praeitque Processus generalis per aduentum, qui incipit: Preparare in occursum dei tui israel. Amos. 4. c. Verbum istud per totum aduentum predicabile est. in quo tria attendenda. Primo cui dicitur quod Israel &c. Sermones plerique breves sunt, pleni numericis illis distributionibus, quas, qui illis uti velit, deducat primo et amplifcet. In Classe V. Sermones sunt de Stephano, Ladislao et Emerico, quem Henricum facit Librarius, Hungariae Regibus, unde Hungarum fuisse, aut saltem ad Hungaros dixisse Nostrum infero. Nec tamen Collectio nostra aut Pelbarti de Temeswar Pomorium, aut Fratris Hungari Biga Salutis est, quae Sec. XV. typis edita habemus. Fol. 184. p. 2. alia aequae vetusta manu adjectae sunt X. Distichis comprehensae Figurae V. T. quae Deiparae adcommodari solent, hoc initio:

*Archa, columba Noe fuit hec, Moysi rubus, Aaron Virga, Jacob scala, septima spica Joseph &c.*

Item